DIAGNOSTICA QUAEDAM ET PATHOGENETICA IN MALO HYSTERICO ET HYPOCHONDRIACO OBSERVATA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI TRIBUANTUR

DIE XII. M. JULII A. MDCCCLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS GUILELMUS HUCH

QUEDLINBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

DUEMMEN, med. et chir. Cand.
KOENIG, med. et chir. Cand.
HAGEDORN, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

Inter omnes morbos, quibus genus humanum premitur, hypochondriacum malum et quod huic simillimum est, hystericum, longe lateque diffusa fere amplissimo gaudent imperio. Nam morborum chronicorum tertia pars calculo cl. Zimmermann ad hypochondriacas et hystericas referenda est affectiones. Sunt autem et hystericum et hypochondriacum malum morbi ex inveterata plerumque systematis nervosi ataxia nati, quos, quum in plurimis rebus conveniant, artis medicae non pauci professores pro una eademque affectione habuerunt, in quibus Sydenham, Stahl, Boerhaave, v. Swieten, Tissot, Hufeland memoratu dignissimi sunt. Si vero et utriusque sexus variam corporis, praecipue nervosi systematis, structuram sensibilitatemque et variam utriusque morbi causarum internarum in utroque sexu naturam accuratius animo perpendimus, facile apparebit, morbos illos, quamquam simillimos inter se, tamen certis quibusdam signis distinguendos esse. Neque desunt huic sententiae magni auctores, qui hos morbos vel toto ut ajunt, coelo diversos judicavere, in quibus Fr. Hoffmann et Ill. Romberg ante omnes nominandi sunt. Neve tamen hac in re nimis acute atque subtilius nos disputare et ipsa naturae vincula discindere credas.

Nam id quidem libenter omnibus concedimus, mi-

xtos interdum istos morbos esse, ita ut passim inveniantur mulieres hystericis passionibus vexatae, intermixtis tamen nonnullis aliorum morborum symptomatibus quae et in hypochondriacis interdum observantur; quod aliis etiam in morbis, praesertim systematis nervosi, accidit, quos tamen separandos et probe distinguendos recte judicamus; siquidem morborum genera non eodem modo, quo plantae et animalia, individua quasi corpora nobis occurrunt, sed conjuncta inter se aut incompleta saepe observantur. Sed haec ipsa, de qua diximus, morborum complicatio tam frequens, nec non tot incompletae morborum formae nos cogunt, ut magna symptomatum e caterva ea tantum eligamus, quae genuinae morbi speciei maxime respondent, reliqua vero ad haec pauca reducamus, dummodo reduci omnino possint. Hoc nusquam magis quam in dictis affectionibus exigitur, ubi nempe symptomatum varietas tanta est, ut nisi fontem eorum respicias, vix dicere possis, quaenam ad singularem morbi faciem omnino referenda sint, quaenam negligenda. Itaque ad causas et conditiones horum morborum internas, quasi fontem symptomatum redeamus, quarum e diversa in utroque morbo natura facilius elucebit, quanta et qualis sit differentia, quae malum hystericum inter et hypochondriacum intercedit. Id vero quoque adnotandum nobis videtur, ne forte credas, ex una eademque re certum morborum genus semper profectum esse, sed quamvis certa quaedam et solennis causa id malum frequentissime gignat, tamen fieri posse, ut insolita quoque causa et infrequens eundem proferat morbum.

Cap. I.

EXPLICANTUR INTERNAE CORPORIS HUMANI CONDITIONES, IN QUIBUS PASSIONES HYSTERICAE ET HYPOCHONDRIACAE POSITAE SUNT.

Si igitur morbi hysterici atque hypochondriaci internas respicimus conditiones, harum patebit statim discrimen. Quum enim inter omnia, quae corpus constituunt muliebre, organa vegetativa illa generationi inservientia primum obtineant locum, functionesque eorum sexuales non exiguam in universa vivendi ratione totiusque corporis oeconomia habeant vim atque dignitatem, quid mirum, sexuales functiones atque organa, quibus illae assignatae sunt, tam arctum alere nexum cum plurimis reliquis corporis actionibus, quae ad vitam necessariae sunt. Sunt enim utero atque partibus annexis, in quibus ovaria maxime excellunt, cum plurimis reliquis corporis partibus, si ventriculi excipias sympathias, sympathiae omnium exquisitissimae et manifestissimae, quae et antiquissimorum medicorum oculos effugere non potuerunt (1). Non hujus loci est explicare, quid veteres artis medicae professores de illis sympathiis judicaverint et quomodo nostra aetate obscuram hanc rem explicare et illustrare conati sint auctores; res ipsae satis constant. Id quidem liceat proferre, istius partium consensus atque sympathiae

(1) Confer. Blumenbach, Instit. physiol. §. 536: „Nervis autem scatet (uterus) innumeris, quorum ope mirandum illum cum plerisque corporis partibus consensum alit."

radices in systematis nervosi distributione quaerendas esse. Tanta autem tamque arcta est illa conjunctio, ut, si illa pars nervorum, quae ad organa tendit generationi inservientia functionibusque praeest genitalibus, qualibet perturbetur injuria, totum paulatim systema nervosum irretiatur hac perturbatione, donec universus exoriatur tumultus neque morbus, sed morborum cohors adesse videatur. Itaque illud Hoffmanni, hystericam passionem esse motum nervorum spasmodicum ex uteri vitio nascentem, haud inepte originem hujus affectionis causamque, quam dicunt internam, demonstrare mihi videtur.

Est igitur hystericum malum positum in miro illo connexu, qui in corpore muliebri utero functionibusque genitalibus cum corporis organis reliquis fere omnibus est atque universa, ut ita dicam, vitae oeconomia.

Ut enim proferam exempla, notum est, e mensium cessatione, e metrorrhagiis, aut qualibet denique hujus mulieri tam necessariae atque gravis uteri et ovariorum functionis turbatione molesta saepe exorta esse symptomata hysterica. Quin et ipsa mensium cessatio interdum ad morbos ovariorum occultos referenda est, quorum scilicet symptoma saepissime observatur. Haud raro etiam illi vitae anni, quos climactericos vulgo nominarunt, quibus scilicet catamenia e rerum natura aut initium capessunt, aut cessant, malo hysterico initium aut finem dederunt. Ita etiam dislocationes et desorganisationes uteri mali hysterici causam obtulerunt. In his inversus, inclinatus, reclinatus, induratus uterus et alii

ejusmodi morbi dicendi sunt. Neque desunt exempla, quibus pessaria, propter ligamentorum uteri laxitatem, ut uteri situm firmarent, in vaginam inducta, neglecta diutiusque relicta, talem irritationem partium excitarunt, ut colporrhoea purulenta, et ex hac molimina hysterica prodirent. Atque hac in re ovariorum affectiones in procreanda hysteria multo graviores sunt, quam uteri, quas tamen enumerare hoc loco supervacuum. Ovaria nempe, si physiologicas functiones spectamus, utero longe graviora sunt, quod experimentis circa animalia institutis non paucis probatum est. Itaque veresimile est, horum quoque morbos parvi aestimandos non esse. At omnes, quas enumeravimus, genitalium affectiones cum ipso hysterico malo ne confundantur cavendum est, sed eapropter tantum hoc loco illas protuli, quod nervorum actiones vario modo perturbare valent.

Contra hypochondriacum malum, quod judice Ill. Romberg hyperaesthesia constat psychica, longe alio ex fonte quam hysteria derivandum est. Qui enim hoc morbo laborant, nimia animi attentione in proprii corporis actiones directa ita excitantur, ut de his rebus unice et quasi toti cogitent. Sed ea ipsa, quae sentiunt ac percipiunt de corporis statu, longe subtiliora sunt, quam quae a sano ac vegeto homine de corporis ipsius organis sentiuntur. Id quoque, quod proprii corporis functiones, ut concoctio et chymificatio, sentiuntur ab aegrotis, singulare huic morbo est, nam integra valetudine vegetativae, quae dicuntur, corporis functiones ita absolvuntur, ut animi perceptionis sint expertes; at-

que optimum ventriculum, ut vulgare proferam exemplum, in illo invenies homine, qui se ventriculo instructum esse prorsus nesciat. Multum quoque in procreando et alendo hoc morbo imaginationis et phantasiae valet vis, quas scilicet animae facultates apud hypochondriacos maxime excultas invenies et ad tantum perfectionis gradum haud raro evectas, ut morbosae, quae ex his prodeunt, perceptiones non solum plane ad voluntatis arbitrium excitentur, sed etiam omnes corporis partes occupare possint. Sed plerumque ad digestionis organa referendae sunt. Atque ex his elucet, eos, quibus imaginationis facultas nondum satis exculta sit, ut pueris, ab hypochondriaco malo tutos manere. Neque minus perspicuum est, quod quotidie observare licet in hypochondriacis, quos nempe nulla res magis perturbat, quam librorum pathologicorum studium. Contra si quidquam, nihil magis hunc morbum expellere valet, quam ea omnia, quibus animi attentio a contemplatione laesae valetudinis abducitur ad res alias, quarum varietate animus delectatur, ut itinera aut alia ejusdem generis.

At jam aliam hypochondriaci mali causam, quam materialem vocare liceat, circa digestionis apparatum versari, multi medici contendunt. Galenus et qui eum secutus est, Boerhaave, atram bilem accusant, Kaempfius, quem multi etiam alii secuti sunt, infarctus intestinorum, obstructiones et alias ejusmodi hujus morbi causas protulerunt, quibus et Stahlii theorema de morbo hypochondriaco nascente ex hyperaemia systematis venae portae addendum est. Fr. Hoffmann in hoc morbo

tunicam muscularem intestinorum passim spasmodica contractione affectam, passim paralyticam esse contendit, ita ut hac ex re motus exoriatur spasmodico-flatulentus. Broussais denique, et qui ab ejus partibus stant, naturam mali hypochondriaci in gastro-enteritide chronica posuerunt. Neque hae de origine hujus morbi sententiae plane refutandae nobis videntur, sed videamus, hae res quomodo revera se habeant et nostrae adaptari queant sententiae. Id quidem fere omnibus commune esse videtur, versari malum hypochondriacum circa digestionis officinam; neque immerito, si querelas hoc morbo laborantium sexcentas animo perpendimus, morbi sedes ad illa concoctionis et assimilationis organa reduci posse videtur, nam fere omnes illi aegroti consentiunt, digestionis anomaliis se vexari et angi. Itaque quomodo ex his affectionibus id ipsum nascatur, quod malo hypochondriaco proprium esse paulo antea diximus, paucis jam proferamus. Ipsius enim digestionis officinae cum multis aliis, imo remotissimis, visceribus sympathiae sic dictae principes in toto corpore dici merentur, et in his maxime illa excellit, quam cum capite ventriculus alit (1). Itaque perturbata digestione praesertim in statu pituitoso aliisque morborum generibus cephalaea illa gastrica simul observatur, et vice versa morbi cerebri saepissime cum obstructione alvi con-

(1) Confer. Blumenbach, Instit. physiol. §. 360: „Insigni instruitur ventriculus nervorum apparatu, unde tam summam ejus sensilitatem repetere licet, (qua facillime ab omnis fere generis stimulis afficitur, sintve externi, frigoris etc. sintve

juncti deprehenduntur; cujus rei exempla alia innumera proferri possent, sed unum hoc loco sufficiat. Quae vero in hypochondriacis ex hoc sympathico fonte prodiisse maxime videntur symptomata encephalopathiae, quae nempe consensualia cum istis digestionis vitiis observantur, memoratu dignissima haec sunt: Obnubilatio quaedam capitis sensuumque, praecipue oculorum, sanguinis ad caput congestiones, somnolentia. At somnus quidem ipse aut deficit propter excitationem, aut si adest saepissime inquietus est; quam rem haud parvi existimandam judico, uti enim ipsorum corporis elementorum successiva jactura victu, ita virium animalium dispendium somno reparatur. Simul molestae illae ex infimo ventre profectae sensationes animi aegrotorum attentionem tanquam stimuli attrahunt atque ita transitus ad veram mali hypochondriaci naturam patet. Itaque revertamur ad aegrotum nostrum hypochondriacum, qui quum per aliquod temporis spatium dyspepsiae symptomatibus vexaretur, animo quoque demum laborat et digestionis quotidianum decursum, quam functionem sani ac vegeti homines fere numquam sentiunt, diligentissime strictissimaque animi attentione persequitur. Tum calorem molestum, pressionem et tensionem inimicam, aliasque sensationes ingratas in infimo ventre, praesertim in

---

interni aut ab ingestis, aut ab ipsis humoribus inquilinis profecti), quam ingentem illum et plane mirabilem consensum, quem cum longe plerisque reliqui corporis functionibus alit; quo praesertim et animi commotionum ad unam omnium in ventriculum imperium, et hujus e contrario organi ejusque integritatis in animi serenitatem potentissimus influxus pertinet."

hypochondriacis regionibus, percipit, tum animi attentio his molestiis tenetur atque perpetua talium perceptionum, ut ita dicam, exercitatione in dies fit subtilior et acutior illa animi in corporis vitia attentio, perceptiones ipsae phantasia augentur, magis magisque angitur animus et perturbatur, donec ad tantum hyperaesthesiae gradum evehitur, ut, quaecunque morborum symptomata audit aut legit, statim sua esse opinetur. Itaque illa animi ad hyperaesthesiam proclivitas recta quasi via ex dyspeptis molestiis saepissime profecta est. Simile quidquam excessu in Venere efficitur, quo scilicet alta systematis nervosi excitatione non minus quam nimia spermatis profusione nervorum actiones admodum debilitantur, atque ad eum sensibilitatis statum perducuntur, ex quo apud hypochondriacos totum symptomatum complexum prodiisse cognovimus (1). Quae de spermatis profusione dicta sunt, simili modo ad sanguinis inanitiones referri queunt.

Quum vero viscera ipsa, ex quibus sensationes istae hypochondriacae videntur profectae, prorsus intacta haud raro inveniantur, i. e. magnitudine, forma et densitate normali, corporisque nutritio talis sit, ut et chylificatio bene procedere videatur, hypothesis illa de

(1) Confer. Lotze, Allgemeine Pathologie und Therapie §. 23 pag. 173: „Grosse Verluste von Säften, namentlich durch Menstruation und Pollutionen, sind häufige Ursachen (der Hyperästhesie); — sie verbreitet sich von einem lokalen Sitze aus allmählig über das ganze Nervensystem ein Fall, der am häufigsten vom Magen u. von den Genitalien aus eintritt.“

hyperaesthesia nervorum infimi ventris, praesertim eorum quos sympathici nervi complectitur systema, in promptu est. Atque me hercule, hypochondriacae istae perceptiones ad nervorum actiones, ni graviter fallor, reducendae sunt; quae vero alia hac de re et multifaria excogitata sunt a nonnullis, omittimus, quia neque observationibus neque experimentis firmiter probari possunt.

Cap. II.

DE UTRIUSQUE MORBI SYMPTOMATUM IN UNIVERSUM DISCRIMINE.

Uti hysterico malo non eaedem ac hypochondriaco conditiones subsunt internae, ita etiam inter harum affectionum symptomata non exigua intercedit diversitas. Ac primum quidem de hystericis symptomatibus dicendi periculum faciamus. Neque haec, uti in libris pathologicis fieri solet, sigillatim recenseamus, sed ea tantum proferamus, quae turbatae nervorum sensibilitatis in tam multis ac variis phaenomenis et plurimis communia observantur, et prae ceteris eminent. Itaque quum in malo hysterico longe plurimae affectiones, spasmi aut excitatatae sensibilitatis symptomata, et ad motuum reflexiones et ad sensuum irradiationes, quae dicuntur, reduci possint, hujus mali symptomata plurima ad Myelopathiam deferenda mihi videntur, quippe quum a plerisque nostrae aetatis physiologicis motuum reflexorum sensuumque irradiatorum locus primarius et quasi organon medulla spinalis judicetur. Atque id quidem morbo mihi videtur tribuendum esse, quod in hac affe-

ctione motuum reflexio sensuumque irradiatio debito facilius excitetur. Aut ut aliis verbis utar, dico varias nervorum excitationes in hystericis minimo impedimento diffundi ad systematis nervosi partem majorem et ampliorem, quam in corpore sano ac vegeto fieri debet. Itaque impedimenta illa, quae valetudine incolumi varias nervorum actiones, ne admodum se excitent invicem, justo limite separatas distinent, in malo hysterico prorsus sublata esse videntur (1). Neve quisquam contra-

(1) Conferatur Lotze, Allgem. Pathol. u. Therapie §. 23, pag. 171: Es lässt sich im Allgeimen übersehen u. wird sich an vielen speciellen Beispielen zeigen, dass die Erhaltung des normalen Zustandes im Körper und die zu seiner Wiederherstellung nöthigen Processe zum grossen Theile durch die Thätigkeit der sensiblen Nerven ausgelöst werden, theils derer, die ausserdem zur Bewirkung bewusster Wahrnehmung, theils derer, die zur Hervorrufung jener unbewussten organischen Rückwirkungen bestimmt sind. Dem gesunden Leben gehört indessen eine gewisse Festigkeit dieser Verbindungen zwischen den einzelnen Verrichtungen, vermöge deren die eine die andere nur mit einer gewissen Grösse ihrer Intensität auszulösen vermag. In krankhaften Zuständen dagegen sehen wir das eigenthümliche Verhältniss, dass häufig zugleich mit Abnahme der wirkenden Kräfte im Allgemeinen jenes Gleichgewicht labiler wird, und dass der eindringende Reiz schneller, leichter u. über einen immer zunehmenden Erschütterungskreis verbreitet die genannten Rückwirkungen in andern Theilen hervorruft. Diese krankhafte Steigerung der Erregbarkeit bildet, wo sie allgemein über den Körper verbreitet ist, jenen Zustand der Nervenschwäche oder irritablen Schwäche, dessen häufig unklar gedachter Symptomenkomplex sich bequem auf den Mangel des natürlichen Uebergangswiderstandes, der zwischen den einzelnen

dicat, et encephalum in hystericis prorsus intactum non semper fuisse, quod ex clavo hysterico et aliis facile elucet; nam ut in his ventriculus, ita in illis caput et multae aliae corporis partes per eandem sympathiam videntur aegrotare, sed prae omnibus medulla spinalis illam symptomatum complicationem provocat, quam malum hystericum nominamus. Ita etiam acerrimorum hujus morbi spasmorum impetu conscientiam animi numquam sublatam videmus, ut in Epilepticis quidem semper accidit, quorum scilicet encephalum morbo affectum esse constat. Alia quoque exstant hysteriae symptomata, quibus, actionibus nervosi systematis reliquis prorsus sublatis, liberum encephalum animi conscientiae praesentia probatur, quorum illud quidem memoratu dignissimum apparet, quod a veteribus medicis saepissime observatum est, et quod Syncope vocatur. Nota sunt exempla non pauca, quibus illa syncope tam gravis fuit, ut perfectam et omnibus numeris absolutam mortis speciem prae se tulerit. Vesalius, ut referunt, corpus mulieris, quam mortuam putabat, et quae longum jam tempus aequali et profunda tenebatur syncope, dissecturus erat, sed prima jam incisione illa misere exclamans ita perterruit magnum illum anatomes peritum, ut statim deseruerit Hispaniam, ne quaestioni inter haereticos submitteretur. At illae mulieres hoc malo affectae quamvis immobiles jacent atque elingues, omnes

---

Nerven obzuwalten pflegt u. auf eine Vergrösserung der Veränderung zurückführen lässt, die in den gereizten Nerven vor sich geht."

tamen voces audiunt, quin etiam, quae ipsis accidunt vident omnia. Narratur de muliere quadam hysterica, syncope illa laborante, cui chirurgus applicaturus erat emplastrum vesicatorium, cujus maxime omnium rerum taedebat, ita illam omnia animadvertisse et animo perpendisse, ut chirurgo colaphum intulerit gravissimum, et, quod omnium memoratu dignissimum, statim postea in priorem reciderit syncopen. (P. Pomme, Essai sur les. affect. vaporeuses des deux sexes Par. 1760). Ex his et aliis fit perspicuum, encephali fuuctiones in hystericis bene procedere, qua re non solum ab epilepsia, sed etiam ab hypochondriacis affectionibus valde differt hic morbus.

Symptomata hypochondriaca et a medicis et ab aegrotis permulta enarrata sunt, ex quibus ea tantum eligenda nobis occurrunt, quae e singulari hujus morbi natura recta quasi via profecta et signa pathognomonica, quae dicuntur, habenda sunt. Itaque cavendum est, ne id, quod peculiare huic morbo esse paulo antea diximus, praetermittamus, nempe hypochondriacum malum hyperaesthesia constare animi. Itaque hac ipsa re maxime differt a passionibus hystericis, quibus medullam spinalem praecipue tentari modo demonstravimus. Nam ad Encephalopathiam morbum hypochondriacum referendum esse, abunde elucet. Haud parva quidem medicorum pars occultam hujus morbi sedem in digestionis officina residere suspicata est, eum quidem in modum, ut symptomata hujus morbi ad encephalopathiam pertinentia per consensum exorta judicaverit. Quibus

ego respondendum esse existimo, illas infimi ventris affectiones non esse confundendas cum ipso morbo hypochondriaco, quod et ipsum adnotavi, quum de mali hysterici origine sermo esset, ubi genitalium morbi, ut hoc loco digestionis organorum, ab ipsa hysteria diversi habendi sunt. Nam quum per aliquod tempus gastrica molimina cerebrum per consensum excitaverint, denique fit sui juris capitis affectio, nec statim, ubi causa e stomacho profecta remota est, encephali malum tollitur, quod tamen fieri deberet, si illa primaria, hoc vero consensüale esset. Fortasse etiam gastrica molimina hujus morbi radices interdum non sistunt. Sed jam videamus, qualis sit illa Hyperaesthesia psychica, quam caput morbi hypochondriaci esse contendimus. Itaque in memoriam revocemus, quae paulo antea de origine hujus hyperaesthesiae prolata sunt, quae nempe quasi exercitatione quotidiana paullatim procedit. Quamvis insolita hujus rei natura primo quidem intuitu non satis perspicua esse videatur, facile tamen patebit, si cum aliis generis humani facultatibus comparatur, quae exercitatione parantur et augentur. Ita enim ipsi corporis nostri motus, qui musculorum contractionibus ad voluntatis arbitrium excitantur, nisi exercentur, rudes et inepti evadunt. Si vero illos ad rem aliquam exactu difficilem aptos fieri velis, ut apud musicos accidit, assidua exercitatione opus est. Quemadmodum illi artifices exercitatione assidua eo perveniunt, ut musculos quoscunque velint singulos moveant atque in difficili hac arte fere incredibilia praestent, ita in morbo hypo-

chondriaco musculorum loco sensationes varii generis tanto, ut ita dicam, artificio excitantur, ut prorsus fere aegroti arbitrio definiantur sensationes, dummodo animi attentione illas persequatur. At sane non omnes hoc morbo laborantes in exercenda hac arte tantum perfectionis gradum adepti sunt, quanto musici nostri perfectiores gaudent. Plerique enim hypochondriacorum sensationes illas, uti jam pluribus antea dictum est, ad infimum ventrem referunt, neque immerito malam ciborum concoctionem moliminaque dyspepta accusant. Alvi obstructione cruciantur (1) et aliis hujus generis affectionibus, quas augeri quoque stricte et continuo directa ad ipsas animi intentione, vero simile est. Quin et cordis pulsuum numerus dicitur augeri, aegroto illos anxie numerante.

Perpetua enim illa animi hypochondriacorum attentione quasi incitamento parvo quidem sed continuo excitatur animus et perturbatur et ipsum morbi morbo firmatur fundamentum, quod nempe in nimia illa collocamus sensibilitate. Atque ita hic morbus, ubi semel exortus est, ipse sibi pabulum novum semper suppeditat et in dies augetur. Sed imaginationis quoque et phantasiae haud spernenda vis adest in colendo hoc

(1) Alvi quidem obstructio in utroque morbo haud infrequens, quamquam et hysterico et hypochondriaco malo communis, adest, re vera tamen inter se discrepant affectiones eo, quod hypochondriacus nihil intensius, quam ut alvus probe dejiciatur, petit neque umquam magis valet atque melius se habet, quam alvo exonerata. Hystericae hac ipsa alvi dejectione debilitatae magis quam sublevatae videntur.

morbo, quae scilicet animi facultates, si a natura paulo discedunt atque nimis excitantur, perceptiones istas hypochondriacorum plane perversas reddunt atque ridiculas. Atque hac ipsa re similitudo quaedam huic morbo cum aliis animi morbis interdum inprimitur, qui ad coenaestheseos vitia vulgo referuntur. Cujus rei historiae satis ridiculae enarrantur non paucae, quarum e numero hanc unam eligamus: Eruditus vir, qui nimiis studiis in malum hypochondriacum inciderat, credebat se habere crura vitrea, quare nullo modo iis audebat insistere, sed e lecto ad focum deferebatur, cui toto die assidebat. Ancillam ligna afferentem foco alendo, quum ruditer illa projecisset, territus herus et de cruribus suis vitreis metuens, acriter objurgavit. Morosa ancilla et herilis insaniae pertaesa ligno percussit rudius heri tibiam, unde acrem quidem dolorem sensit, sed simul iratus exsiluit, ut illatam hanc contumeliam ulcisceretur.

Paulo post defervescente ira gavisus est, se cruribus insistere posse et deleta fuit e mente ejus vana imaginatio. (v. Swieten, comment. in Boerh. Aphor. §. 113.)

Plurimum vero abest, ut tales animi perversitates, quales in exemplo modo narrato obviam venerunt, pro mere hypochondriacis habeam. Referantur, si placet, ad alios animi morbos; sed eum in finem hoc loco proposui historiolam illam, ut facilius cognosci possit magna illius attentionis vis, qua animus ad plane imaginarias sanaeque menti prorsus contrarias ducitur perceptiones. Hac enim parte dicta exempla hypochondriaco morbo

simillima sunt, quod in illis etiam sensationes maxime varias, quascunque animi persequatur attentione, aegrotus percipit; sed eo differunt, quod perversa imaginatione et phantasia interveniente ridiculae et sanae quidem rationi plane incongruae redduntur perceptiones. Sed limites utriusque morbi satis firmos vix statuere licebit.

Jam paucis repetamus ea, quae ex hac de natura utriusque morbi symptomatum perscrutatione in universum instituta redundant, ut naturae horum morborum non exigua diversitas melius perspici possit. Cognovimus hystericas affectiones, qualescunque sint, integro cerebro ad medullam spinalem spectare quoad originem ac sedem; in hypochondriacis vero morbi symptomata animi intentionibus exorta ad encephali pathema referenda esse atque hac ipsa re inter symptomata horum morborum maximam intercedere diversitatem; alia vero ab aliis in his affectionibus observata aut inter ipsa morborum symptomata numquam habenda aut ad causas, quas dicunt, remotas referenda esse. Itaque hystericum malum e natura spasmorum, in quos ipsi aegroti ne minimam quidem vim exserere possunt animi intentione, hypochondriacum malum ipsius aegroti perceptionum qualitate, quae scilicet perceptiones sola animi intentione frequentissime excitantur, perfacile cognoscitur.

Sed antequam ad generalis hujus symptomatologiae finem properamus, pauca exponemus de symptomatum natura. Malum enim hystericum et hypochondriacum

inter se quomodo differant, modo enarravimus; quomodo vero ab aliis generis humani affectionibus disjungi possint, ea de re multa sane promenda essent, quae quidem singula enumerare omittimus, considerantes, num quid proferri possit, quod his affectionibus singulare et pathognomonicum, in reliquis morborum generibus frustra quaeratur. Itaque hac ratione nihil video, quod magis emineat, quam illa symptomatum in utroque morbo inconstantia, cui simile vix quidquam aliis in morbis nobis occurrit. Neque, quum de symptomatum utriusque morbi natura in universum hoc loco sermo sit, haec inconstantia symptomatum omitti poterat, quae in quibusdam hystericis mulieribus tanta est, ut fere quotidie nova morbi indicia appareant atque brevi temporis spatio ita convertatur ille morbus, ut omnia paene morborum genera, systematis praesertim nervosi, simulet. Itaque nunc spasmi similes epilepsiae, nunc gastralgia, dyspnoëa, clavus hystericus, palpitatio cordis, syncope, raucitas et multa alia variorum morborum symptomata hysterica affectione unius morbi ambitu continentur. Neque illi, qui hypochondriacis vexantur passionibus, tanta symptomatum varietate carent. Sexcentae enim sunt querelae aegrotorum de corporis sui incommodis, sed fictitiae et in imaginatione potius quam in corporis affectionibus revera positae. Ex iis autem morbis plerumque desumpta sunt varia illa symptomata hypochondriaca, qui eo tempore, quo laborabat aegrotus, potissimum vigebant, aut a medicis pro evolutione doctrinae propositi erant.

Cap. III.

TEMPERAMENTA, HYSTERICUM ET HYPOCHONDRIACUM, QUOMODO DIFFERANT.

Maxime omnium rerum animi aegrotorum habitus et, quae eum sequitur, vitae consuetudo diversam utriusque morbi naturam demonstrant. Nullam enim rem facile invenies, quae in utroque morbo magis discrepet, quam animus male affectus. Id quidem singulare habet et hystericum et hypochondriacum malum, quod animi in ipsis habitus, quoad morbis istis, quoad ipsi aegrotorum ingenio et naturae tribuendus sit, haud facile dicere licet; nam conglutinantur inter se et coalescunt tam quae a morbo quam quae ab ipsius animi natura profecta sunt. Quae autem malo hysterico laborant mulieres, varia et multiplici natura mobilique gaudent ingenio. Uno enim temporis momento saepe mutantur in illis maxime contrariae animi commotiones, ut ira et favor, indignatio et laetitia; nunc hilares et jocosae, ad petulantiam et effrenationem pronae, nunc morosae et tristes sunt, modo nimium rident modo uberius flent, quin ipsis ridentibus fluunt lacrymae. Incitamenta fortiora omnino fugiunt, quibus scilicet altius excitatae mali hysterici symptomatibus statim premuntur. Nonnullae ad tantum irritabilitatis gradum pervehuntur, ut vel exigua animi commotio, seu terror levis, seu par-

vula laetitia nec opinantibus obvia spasmorum vehementissimorum aliorumque gravium symptomatum causa sit. In morbum quidem ipsum nihil efficere valent intentione animi, ceterum vero obstinatae et pertinaces pro sua semper agere student libidine. Invitae enim, quum quamcumque rem, vel levissimam exigant, plane imbecillae videntur; quae vero ipsarum e proposito instituta sunt, quamvis factu difficillima, facile plerumque perficiunt. Inter agendum incautas eas et praecipites saepe invenies. Aegre multa ferunt, quibus alii nullo modo laeduntur, quippe mollis ad recipiendam offensionem animus sit. Itaque medicum, ut calceos et vestimenta, saepissime mutant. Remedium quotidie novum appetunt, cujus tamen magnam copiam simul allatam perhorrescunt, nam intolerabile iis videtur, donec tantam medicinae copiam sumserint, expectare refectionem. Medicamina enim, quorum statim aut brevi saltem temporis spatio non apparet effectus, nihil valere existimantes, tanquam inutilia abjiciunt. Nam futurarum rerum nulla est cura, nimia praesentiae. Restituendae sanitatis spem raro dimittunt, quamvis enim sexcenta sumpserint remedia, nova tamen cupiunt, sperantes fore, ut jam convalescant, dummodo aptum inventum sit remedium. Quae aliis jucunda videntur, ipsis haud raro molesta sunt, et vice versa appetunt, quorum alios taedet. Gustatu et olfactu saepe praeditae sunt ita perverso et singulari, ut foedissimos et fragrantissimos odores, e. gr. qui penna anserina adusta, quod tristissimum exemplum est, excitantur, et alios ejusdem generis odo-

res, quos homines sani ad unum omnes detestantur, jucundos habeant atque appetant. His etiam picae interponendae sunt, communes gravidis et hystericis.

Contra hypochondriacorum morosus semper et tristis animus est, nihil secum agunt quam sua incommoda, quae ipsis majora etiam videntur. Tardi ingenio reliqua fere omnia negligunt. Fortissima incitamenta saepe vix eos movent. Quamvis sanitatis spem prorsus amiserint, certaque perpetuo mors eorum oculis obversetur, magnam tamen appetunt medicinae copiam, quum futurum tempus semper respiciant, praesens negligant. Nullum repudiant remedium a medico aut aliis porrectum, quamvis foedissimum sit. Quaecunque medicus fieri jussit, haud raro etiam plura, religiose exigunt, etsi ipsis sint permolesta. In agendo tardi semper et cunctabundi maxima lentitudine omnia exigunt, pauca omnino peragunt, longe enim maxima pars vitae meditando consumitur. Itaque animus eorum omnibus rebus hystericis contrarius est.

CONCLUSIO.

Quae de pathogenesi, sede ac natura utriusque morbi supra disputata sunt, sufficiant ut cognoscamus, quanta et qualis sit illarum affectionum diversitas. Plura fortasse invenies signa diagnostica, quam quae protuli, sed singula enumerare omnia quaecunque in morbis

tam intricatis observare licet, sane longum est, quare satis erit ea tetigisse, quae in tanta symptomatum varietate constantia et dignitate excellunt atque ex quibus reliqua facile cognoscuntur. Restat, ut paucis ea repetamus, quae singularia his morbis esse probavimus. Ac primum quidem pathogenetica quaedam in hysterico et hypochondriaco malo observata, hos morbos ut disjungamus, nos cogunt. Ipsa deinde symptomatum in utroque morbo natura diversa est. Animi denique habitus et vivendi consuetudo in hystericis longe aliter se habent, ac in hypochondriacis. Tribus igitur his rebus horum morborum continetur diversitas.

Malum hypochondriacum.

Originem ducit ex ataxia quadam nervorum ad digestionis apparatum praesertim pertinentium. Constat hyperaesthesia psychica et ad encephali pathemata referendum est.

Molestiae hujus morbi animi attentione in ipsas directa non augentur solum, sed ipsae etiam hac ex re proficiscuntur.

Temperamentum triste, morosum, uniforme.

Malum hystericum.

Causa et conditio interna hujus affectionis nervorum ad organa generationi inservientia pertinentium in ataxia quadam positae sunt.

Ipse morbus ad medullam spinalem referendus est et perversa praecipue constat irritabilitate.

Animi intentio nullam sane vim exserere valet in ipsum morbum.

Temperamentum varium et versatile.

LITTERATURA.

G. E. Stahl, de vena portae porta malorum hypochond. Hal. 1698.

Fr. Hoffmann, de vera morbi hypochondriaci sede, indole ac curat. Hal. 1719.

Kaempf, Abhandlung von einer neuen Methode die Hypochondrie etc. zu heilen. Leipzig 1786.

Romberg, Lehrbuch der Nervenkrankheit des Menschen, 1. Bd. 1. Abth. pag. 207. u. 2. Abth. pag. 203.

VITA

Ego, Carolus Guilelmus Huch Quedlinburgensis, confessioni evangelicae addictus, natus sum die XX. mens. Novembris, a. MDCCCXXVIII, patre Henrico Conrado Huch, medicinae doctore, matre Aemilia e gente Schrader, quos parentes carissimos atque dilectissimos ad hunc usque diem incolumes veneror.

Primis litterarum rudimentis in schola municipali imbutum A. MDCCCXXXIX Franciscus Richter, Gymnasii Quedlinburgensis director in numerum discipulorum recepit, qui una cum ceteris Gymnasii praeceptoribus humanissime ita me instruxit, ut anno MDCCCXLIX maturitatis testimonium adipiscerer et universitatem adire possem. Itaque ad universitatem Fridericianam Halensem cum Vitebergensi consociatam me contuli, et ab Ill. Meier, t. t. Prorectore Magnifico, inter cives academicos receptus ab Ill. Krukenberg, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decano maxime Spectabili, medicinae studiosis adscriptus sum. Ibi hisce interfui scholis:

Ill. Beat. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia artis medicae;

Ill. Burmeister de zoologia;

Ill. Germar de mineralogia;

Ill. a. Schlechtendal de botanice, de plantis cryptogamis, de graminibus et Cyperoideis;

Ill. Schweigger de physice;

Ill. Schaller de logice et metaphysice;

Ill. Beat. Marchand de chemia, de chemia organica, de physice;

Ill. Erdmann de psychologia;

Ill. d'Alton de anatomia.

Halis peractis tribus semestribus, Göttingam ad universitatem Georgiam Augustam me contuli, ubi die XV. mens. Octobr. anni MDCCCL ab Ill. Hans Brieghleb, t. t. Prorectore Magnifico, inter cives academicos receptus sum. Ibidem per tria semestria me docuerunt:

Ill. Beat. Langenbeck demonstrationes anatomicas, artem rite secandi cadavera;

Ill. Marx materiam medicam et artem formulas medicas concinnandi, pathologiam et therapiam generalem;

Ill. Wagner physiologiam experimentalem, neurologiam, artem rite secandi cadavera;

Ill. Baum chirurgiam generalem et specialem, akiurgiam, exercitationes clinicas chirurgicas;

Ill. Fuchs nosologiam et therapiam specialem, praxin medicam cum exercitationibus clinicis in nosocomio medico;

Ill. de Siebold artem obstetriciam.

Deinde universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem petii et die XXI mensis Aprilis anni MDCCCLII ab Ill. Dieterici t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus, ab Ill. Juengken t. t. gratiosi medicorum ordinis Decano maxime Spectabili medicinae studiosis adscriptus per tria semestria hisce interfui scholis:

Ill. Mitscherlich de pharmacia;

Ill. Mueller de anatomia comparata, de physiologia speciali, de physiologia generationis;

Ill. Casper de medicina forensi;

Ill. Langenbeck de akiurgia, exercitationibus practicis, de operationibus in cadavere instituendis;

Exp. Traube de exercitat. pract., in auscultando et percutiendo.

Deinde exercitationes clinicas chirurgicas et ophthalmiatricas, quas Ill. B. Langenbeck, Ill. Juengken, medicas, quas Ill. Romberg, obstetricias, quas Ill. Busch moderantur, frequentavi.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

Tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso superatis, nihil impediturum spero, quominus dissertatione et thesibus exhibitis palamque defensis summos in medicina et chirurgia honores gratiosus medicorum ordo in me conferat.

THESES.

1. Hystericum malum ex organorum generationi inservientium affectionibus originem ducit.
2. Malum hystericum ad medullam spinalem referendum est.
3. Molimina dyspepta, quae in hypochondriacis observantur, non habenda sunt pro ipso malo hypochondriaco.
4. Malum hypochondriacum in hyperaesthesia psychica cernitur.
5. Tuberculosis et scrophulosis unam eandemque sistunt dyscrasiam.